

papæ superioritatem habet. Denique, qui potest in partes simul, seu in conjunctionem earum potest simpliciter in totum: sicut generans hominem, simpliciter potest in ipsum totum hominem; ergo si Ecclesia potest in conjunctionem pontificatus cum persona, simpliciter potest in papam, quod negat Cajetanus.

XXVIII. Respondetur, quod aliter potest pontifex in episcopum quando ipsum deponit, aliter Ecclesia in pontificem: nam pontifex privat ipsum tamquam sibi subjectum, et habentem potestatem sibi subordinatam et dependentem, quam limitare, et coartare potest, unde licet tollat episcopatum a persona, et non destruat episcopatum, tamen hoc tollit ex superioritate quam habet ad personam, etiam ex parte potestatis sibi subordinatæ, ratione cujus illam amovet a persona, et non solum personam ab ipsa. Ecclesia vero tollit pontificatum ex superioritate ad potestatem ipsam, sed ex ministeriali, et dispositiva potestate qua potest inducere dispositionem impossibilem cum pontificatu, ut dictum est.

XXIX. Ad confirmationem respondetur, papam disponi invitum ministerialiter, et dispositive ab Ecclesia, auctoritative a Christo Domino, unde ab ipso, non ab Ecclesia punitur proprie loquendo. Ad ultimum dicitur, quod qui potest in conjunctionem partium, potest in totum simpliciter, non tamen si ministerialiter solum, et dispositive possit in talem conjunctionem, nisi in naturalibus, in quibus physice dispositiones habent naturalem connexionem cum ipso esse totius, quod cum communicetur ab agente producente dispositiones conjunctivas partium, simpliciter producit ipsum totum: in moralibus autem dispositio, quæ fit ab aliquo, cum solum

habeat moralem conjunctionem cum forma, et quasi ex institutione voluntaria, qui disponit non censetur facere ipsum totum simpliciter, et auctoritative, sed quasi ministerialiter: sicut si pontifex alicui concedat, ut loca quæ designaverit habeant privilegia lucrandi indulgentias, et quæ declaraverit non habere, non habeant, designatio, vel declaratio ista non habet tollere, aut concedere indulgentias auctoritative et principaliter, sed ministerialiter solum.

### DISPUTATIO III.

DE POTESTATE PAPÆ IN ECCLESIA QUANTUM AD EA IN QUIBUS ERRARE NON POTEST.

Quinque sunt in quibus pontifex non potest errare. Primo, approbatione, et emendatione librorum canonicorum Scripturæ, et traditionum apostolicarum: secundo, in confirmatione Conciliorum, et definitione rerum fidei: tertio, in canonizatione sanctorum: quarto, in legibus regulativis morum: quinto, in confirmandis religionibus; et de his omnibus per ordinem tractandum est in præsentis disputatione.

#### ARTICULUS I.

*Utrum in approbatione, et emendatione Scripturæ canonice papa errare possit?*

I. Supponimus duo principia, de quibus aliquid breviter egimus disputatione prima, articulo secundo. Primum est, dari veram et infalli-

bilem Scripturam, quæ sit divinitus inspirata, de qua Apostolus II ad Timotheum III: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, et ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, etc.* et II Petri I: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco: item: Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non sit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines: et capite tertio; Memores, inquit, sitis eorum quæ prædixi verborum a sanctis prophetis, et Apostolorum vestrorum.* Et infra mentionem facit epistolarum Pauli tamquam de Scriptura canonica. Et ipse Dominus post resurrectionem suam omnem complectens veteris testamenti Scripturam, quam Ecclesiæ suæ relinquebat Lucæ vigesimo secundo: *Necesse est, inquit, impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me: tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, etc.* Quare dandam esse aliquam Scripturam sacram divinitus inspiratam tamquam primum principium supponendum est inter eos qui fideles sunt, et in Christum credunt, hoc enim insinuant illa verba Petri: *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia, etc.* Est ergo hoc primum quod tenemur intelligere, et tamquam principium supponere: apud eos vero qui Scripturæ non credunt aliis argumentis procedendum est, quæ breviter insinuavimus loco superius adducto, articulo secundo, in initio.

II. Secundum principium est, quod etiam de fide est Scripturam sacram non solum in sensuum varietate, et interpretationibus diversis posse difficultates pati, sed etiam

depravari in se juxta quod dicitur II Petri III de epistolis Pauli: *In quibus sunt quædam difficulta intellectu, quæ indocti, et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem: quod et satis manifestat multitudo illa librorum apocryphorum, qui pro Scripturis revelatis palliabantur, et damnati sunt a Gelasio pontifice in capite Sancta Romana, distinctione decima quinta, ubi plura numerantur evangelia apocrypha, ut, evangelium Thaddæi, Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, etc.* Plura etiam ex sanctis Scripturis sunt quæ penitus interierunt; multi enim libri citantur in veteri testamento, qui modo non sunt, ut est liber justorum, Josue decimo. Et I Paralipom. XXIX, citatur liber Nathan prophetæ, et volumen Gad videntis: et III Regum IV Salomonem dicitur scripsisse tria millia parabolarum, et quinque millia carminum, et quod disputavit de lignis, et reptilibus, et jumentis, etc. Paulus ad Colossenses IV, in fine mentionem facit epistolæ ad Laodicenses, et jubet ut in Ecclesia legatur, quæ tamen hodie non extat. Itaque Scripturæ et depravationi, et perditioni sunt obnoxie, et aliorum apocryphorum admixtioni, nisi ab aliqua infallibili auctoritate discernatur quinam sint legitimi libri et qui non, qui depravati et qui sinceri, alias enim tota fides fluctuaret, si libri illi in quibus continentur ea quæ revelata sunt a Deo diversis depravationibus, et corruptionibus patere possent, nec de hoc posset aliquis judicare, et discernere.

III. Ex his duobus principiis deducitur per consequentiam, ad duo capita reduci ea quæ Ecclesia vel pontifex circa Scripturam canonicam potest, scilicet quantum ad ipsos libros in se, et quantum ad sensum, et intelligentiam eorum,

quæ in illis continentur; ex his enim duobus pendet certitudo, et firmitas quoad nos, et veræ Scripturæ, et veræ fidei in ea contentæ. De hoc secundo, scilicet sensu, et intelligentia eorum, quæ continentur in Scriptura non agimus in præsentis articulo, sed in sequenti, ubi tractabitur de auctoritate pontificis in confirmandis, et proponendis rebus fidei, ea enim quæ fidei sunt in sensu, et intelligentia Scripturæ, saltem implicite continentur. De primo vero scilicet, de his quæ potest Ecclesia circa ipsos libros canonicos duo nobis in præsentis tractanda sunt. Primum est, de approbatione ipsorum librorum, ut iudicentur quoniam sint legitime authentici, qui non: secundum, de correctione, et emendatione ipsius Scripturæ ex parte diversarum translationum, et verborum, quibus sensus Scripturæ significatur, ut sciamus quid tamquam certum, et indubitatum sequendum sit.

IV. Circa primum punctum id in primis notandum est circa approbationem librorum canonicorum, et definitionem eorum, qui authentici sunt, non esse specialem quæstionem de potestate papæ circa hoc, et de potestate Ecclesiæ, seu Conciliorum, idem enim quod potest Concilium circa hanc materiam potest et papa, cum definitiones Ecclesiæ et Conciliorum a confirmatione papæ dependeant, ut sequenti articulo dicetur. Quare cum circa auctoritatem, et veritatem canonicorum librorum non minus versetur definitio, quam circa ea quæ de fide tenenda sunt, non est major difficultas de iudicio Ecclesiæ circa hoc, atque de iudicio papæ ultimate confirmantis definitionem Ecclesiæ.

V. Fuit ergo hæresis Wicleph, ut refert Thomas Waldensis, libro secundo doctrinalis fidei, capite

decimo nono, non pertinere ad Ecclesiam iudicium de Scripturis sacris, hoc est definire quinam libri sint canonici: quam hæresim etiam secuti sunt Lutherus, et Calvinus, qui præsertim in eo fundantur, quod verbum Dei ab homine iudicari non potest, imo testimonium hominum rejicitur in ipsa Scriptura, ut Joanne v: *Ego testimonium hominum non accipio*: et i Joanne II: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio docet vos de omnibus*, quæ hæresis quantum ad id quod negat debere dari auctoritatem in Ecclesia, quæ iudicet de auctoritate veræ Scripturæ, et de controversiis fidei supra disputatione prima, late a nobis impugnata est, et ostensum quomodo ex hoc Ecclesiæ auctoritas non sit supra auctoritatem Scripturæ, et verbi Dei, sed super controversiam, et dubitationem de veritate Scripturarum. Loca vero quæ hæretici pro se adducunt ex Scriptura, loco citato soluta, et explicata sunt articulo primo ad septimum et articulo secundo solutione ad primum. Tota ergo controversia reducitur, nunc supposito quod Ecclesia, et ejus supremum caput pontifex iudicare debet, et definire qui libri sint canonici, qui non, unde habeat infallibilem auctoritatem talis definitio, et sub qua ratione formali in illam assentiamur. Videtur enim committi circulus in hac parte, nam Scriptura non habet apud nos auctoritatem infallibilem, ita ut teneat credere hunc librum in particulari esse vere canonicum, nisi Ecclesia id declaret, et definiat rursus Ecclesiam istam vere definire et veram esse Ecclesiam, habereque auctoritatem ad id definiendum, ex auctoritate Scripturarum credo, in quibus Ecclesiæ auctoritas revelatur, imo et traditiones apostolicas veras esse, quibus id etiam docetur, ex Scrip-

turæ revelatione cognoscimus; ergo circulus committitur in assensu istarum veritatum, et æque incertum manet unum atque alterum: si enim controversia potest esse, et quæstio de ipsa Scriptura, an vera sit necne, et hujus determinatio resolvitur in auctoritatem Ecclesiæ: auctoritas autem Ecclesiæ resolvitur in revelationem traditam in Scriptura, si hæreticus neget, aut dubitet de illa Scriptura in qua auctoritas Ecclesiæ traditur unde convinci poterit.

VI. Quare difficultas tota consistit in declaranda, et explicanda ista resolutione rerum fidei, quærenti enim quare credimus hoc, aut illud, verbi gratia Christum esse natum, aut passum respondemus id esse verum, quia Deus revelavit: ulterius autem quærenti unde constat Deum revelasse respondemus, quia id habetur in sacra Scriptura: rursus vero quærenti unde sciamus hanc Scripturam esse veram Scripturam respondemus, quia id Ecclesia proponit, et dicit: denique quærenti unde constat hanc Ecclesiam ad id habere auctoritatem infallibilem respondemus id constare, quia Deus dixit, et revelavit, quæ revelatio continetur in Scriptura, quod sane est perpetuum circulum committere. Et eadem difficultas est si dicatur recurrendum esse ad traditiones apostolicas, quibus id Ecclesiæ traditum est, unde enim constat nobis hoc quod nobis dicitur in particulari esse apostolicam traditionem, eamque traditionem esse aliquid a Deo revelatum; in hoc enim est tota difficultas; nam revelationi Dei credere nullus est qui dubitet, sed hoc quod proponimus esse a Deo revelatum, id non videtur constare posse. Adde augeri difficultatem ex ipsa Scripturarum variatione, et diversis translationibus, quarum una videtur longe diversum

sensum ab alia continere; unde ergo nobis constat id quod modo in nostris bibliis Latinis habetur ita esse a Deo dictatum, quod in secundo puncto hujus articuli latius prosequemur, ostendendo quam varie discordent translationes ipsæ inter se, et a textu Hebræo, in quo primum a Deo dictata est Scriptura.

VII. Denique in Ecclesia non videtur in approbatione Scripturarum sequi apostolicam traditionem, nam in canone LXXXIV. Apostolorum ponitur inter libros canonicos liber tertius Macchabæorum, et duæ epistolæ Clementis, qui tamen nunc non sunt canonici, plures etiam omituntur ex his qui modo pro canonicis habentur, ut liber Judith, et Tobiae, et liber Sapientiæ, et Apocalypsis; ergo neque ex traditione apostolica iudicat Ecclesia sufficienter de auctoritate, et numero librorum canonicorum. Similiter neque in Concilio Laodiceno habentur omnes libri canonici qui modo sunt sicut liber Tobiae, et Judith, et Ecclesiastici, et Sapientiæ et Apocalypsis.

VIII. Certa nihilominus, et indubitata conclusio est esse in Ecclesia ejusque capite pontifice Romano auctoritatem infallibilem ad discernendum ea quæ pertinent ad sacram et authenticam Scripturam. Constat hoc in primis ex regula fidei, quæ habetur in Concilio Toletano primo in articulo duo decimo ejusdem regulæ: «Si quis, inquit, dixerit, vel crediderit alias Scripturas, præterquam Ecclesia catholica recipit, anathema sit.» Acceptatio ergo Scripturarum ex receptione Ecclesiæ catholicæ regulanda est. Hunc tamen canonem in Synodo prima Toletana non fuisse editum, sed aliquot post annos in Concilio quodam nationali totius Hispaniæ, quod modo non extat, auctoritate S. Leonis papæ

congregato, indubitatum videtur, cum ista regula fidei dicatur facta ex præcepto S. Leonis. Prima autem Synodus Toletana congregata fuit anno 400, sub Anastasio pontifice, vel Innocentio I, longe ante S. Leonem; de quo videri possunt annotationes Loaisæ ad Concilium primum Toletanum.

IX. Secundo probatur ex testimoniis Scripturæ, in quibus dicitur legem a sacerdotibus esse requirendam, et ad ipsos pertinere docere legem populo, et declarare illam, Aggæi II vers. XII: *Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, etc.* et Malach. II: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est;* ergo pertinet ad officium sacerdotale legem Domini tradere populo, et consequenter discernere quæ sit legitima lex Domini, et quæ non; alias frustra ab ipsis requireretur lex Domini si possent falsam pro legitima tradere. Item Ezechiel xxxv: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, audiens ergo ex ore meo annuntiabis eis ex me.* De Esdra quoque dicitur II Esdræ viii: *Et legerunt in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum, et intellexerunt cum legeretur. Dixit autem Nehemias, et Esdras sacerdos, et scribæ, et levitæ interpretantes universo populo.* Igitur pertinebat ad sacerdotes interpretari legem, et consequenter ejus auctoritatem populo declarare, et an esset legitima, et authentica, vel non. Et II Paralip. xix dicitur: *Quod ubicumque fuerit quæstio de lege, de mandato, de justificationibus, et cæremoniis levitæ et sacerdotes ostendant populo.* Si ergo omnem causam circa quæstionem de lege debent ostendere, utique et illam quæ est de auctoritate, et veritate legis an legitima et certa lex sit, an non. Est

etiam insignis locus ad Galatas II, ubi Paulus loquens de doctrina, et evangelio, quod ipse prædicabat, quod utique vera Scriptura erat, et vere verbum Dei, tamen illud contulit cum Petro, et Apostolis, ut ab eis approbaretur, et legitimum judicaretur: *Deinde, inquit, post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito, ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum illis evangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut currissem;* pertinebat ergo ad illos, qui aliquid erant in Ecclesia, seu auctoritatem in Ecclesia habebant evangelium Pauli approbare, alias ut quid cum illis conferendum erat, aut quomodo si non conferret in vacuum curreret, nisi ex tali collatione robur traheret et fundamentum in ordine ad notitiam fidei.

X. Quem locum antiqui patres sic communiter interpretantur, ut dicant Ecclesiam non credituram Paulo, nisi ejus evangelium confirmatum a Petro fuisset, ut Augustinus vigesimus octavus contra Faustum, capite IV: « Ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de cælo vocatus si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, et cum quibus conferendo evangelium ejusdem societatis esse apparet, Ecclesia illi omnino non crederet. » Et Hieronymus scribens Augustino, et habetur inter epistolas Augustini, epistola XI: « Ostendens, inquit, se non habuisse securitatem evangelii prædicandi, nisi Petri, et qui cum eo erant, fuisse sententia roboratum. » Et advertit libro de scriptoribus ecclesiasticis in Marco, quod: « Petrus cum Marci evangelium audisset, et probavit, et Ecclesiæ sua auctoritate legendum dedit. »

XI. Item etiam invenitur hoc idem concorditer ab Ecclesia, et patribus semper observatum, et traditum; et constat in primis ex regula fidei supra citata. Item in Concilio Carthaginensi canone XLVII, præcipitur ut præter Scripturas canonicas in Ecclesia legatur sub nomine Scripturarum canonicarum; numeransque ea, quæ pro canonicis habenda sunt subjicit: « Hoc etiam fratri, et consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. » Censet ergo Concilium ad pontificem, et Ecclesiam pertinere decernere ea, quæ tenenda sunt de libris canonicis. Item in epistola tertia Innocentii I ad Exuperium numerantur omnes libri, qui pro canonicis habendi sunt, et recipi in canonem debere declarantur, alii vero spurii rejiciuntur. Et similiter Gelasius papa in capite Sancta Romana, xv distinctione plures qui a multis habentur pro libris canonicis, tamquam spurios rejicit. Quod denique factum est in Concilio Florentino in litteris Eugenii IV ad Armenos, et in Tridentino sessione IV. Idem constat ex patribus. Tertullianus contra Marcionem agens de epistola Pauli ad Galatas ait: « Ad patrocinium Petri cæterorumque Apostolorum ascendisse Hierosolymam Paulus scribit, ut conferret cum illis de evangelii sui regula, ne in vacuum tot annis incurrisset, et citra formam eorum evangelizaret; adeo ab illis probari, et constabiliri desiderabat. » Augustinus etiam in libro contra epistolam fundamenti, capite V: « Ego, inquit, evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas: et XXVIII contra Faustum, capite III et IV, ubi dubitationem, et quæstionem, quæ esse potest de ali-

quo evangelio an verum sit, et vere a tali evangelista conscriptum ad Ecclesiam recurrendum esse docet, et successionem traditionum ejus per manus Apostolorum, et episcoporum usque ad nos. Et S. Hieronymus præfatione in evangelia ad Damasum inquit se ipsius jussu, qui summus erat sacerdos novum testamentum ex Græco emendare, et ad legitimam suam originem reducere. Vincentius Lirinensis in libro contra profanas vocum novitates: « Cum sit, inquit, perfectus Scripturarum canon, quid opus est, ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno, eodemque sensu omnes accipiunt. » Plures alios patres citabimus in progressu, præsertim in solutione oppositi fundamenti.

XII. Tertio denique probatur ratione, quia Deus ita tradidit nobis Scripturam, quod voluit illam multis contrarietatibus, et contradictionibus patere, multisque figmentis ejus veritatem, et sinceritatem oppugnari, cum ipse Dominus hoc admonens dixerit Matth. XXIV: *Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus: et infra: Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa magna.* Constat autem quod qui se prophetam, aut Christum facit, ea quæ dicit proponit ut credenda secundum fidem; unde eleganter dixit Tertullianus de præscriptionibus contra hæreticos, ipsas Scripturas ita esse ex voluntate Dei dispositas, ut hæreticis materiam subministrarent hæreseos; ergo oportuit quod relinqueretur aliqua auctoritas, quæ posset similes quæstiones terminare, et dijudicare quinam legitime annuntiarent